



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt pro fidelibus defunctis singulis diebus Missas celebrare liceat. Ixiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vt pro fidelibus defunctis singulis diebus Missas celebrare liceat. Cap. LXIII.

Vltimum præterea nobis est, vt in omnibus Missarum solennibus pro defunctorum spiritibus loco competentis dominus deprecetur. Sicut enim nulla dies excipitur, qua non pro viuentibus & pro quibuslibet necessitatibus dominus deprecetur, ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium preces domino in Missarum solennibus fundantur. Antiquitus igitur hunc morem sancta tenet Ecclesia, vt & in Missarum solennibus & aliis precibus domino spiritus quiescentium commendentur, dicente beato Augustino: Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana & catholica societate laudamus. Defunctos etiam tacitis nominibus eorum sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, vt quibus ad ista defunt parentes, aut filij, aut quicumque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi.

Ex cõcil. Cabillon. cap. 39.

Vt Missa mortuorum pro omnibus Christianis sit cantanda. Cap. LXV.

Dionysius Areopagita dicit blasphemias Deo facere, qui Missas offert pro malo homine. Augustinus dicit pro omnibus Christianis esse faciendum, quia vel eis proficit, aut offerentibus, aut petentibus proderit.

Ex dictis Dionysii Arcop. & Augustini.

Vt institutiones Missarum sicut in metropoli sunt, sic & in reliquis comprouincialibus Ecclesiis. Caput LXVI.

Vt institutiones Missarum sicut in metropolitana Ecclesia sunt ita in Dei nomine in omnibus comprouincialibus Ecclesiis, tam ipsius Missæ ordo, quàm psallendi, vel ministrandi consuetudo seruetur.

Ex cõcil. Gerudẽ. cap. 6.

Vt preces & præfationes quæ in concilio probatæ non fuerint, non celebrentur. Cap. LXVII.

Placuit etiam hoc, vt preces quæ probatæ fuerint in concilio, siue præfationes, siue commendationes, seu impositiones manus ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino contra fidem proferantur, sed quæcumque cum prudentioribus fuerint collatæ dicantur.

Ex cõcil. Africa. no. ca. 64